Quotquot aut Vestrae aliquando aut alius academiae cives ad haecce saecularia celebranda conveniunt, eos omnes, Viri Amplissimi, et Vobis ea auspicantibus, et sibi frequentantibus gratulari creditote. Etenim quum viro uni et alteri familiaritate aliqua aut vitae commercio nobiscum conjuncto fata concesserunt, ut solemnia post aliquot lustra in munere publico redeuntia celebret, ipsius potissimum sortem praedicamus, qua tot annis honeste peractis laetus viridisque suis supersit. Sed qui hujuscemodi saecularibus intersumus, nostram etiam vicem laetamur, quoniam paucis hoc semel, bis nemini unquam contingit. Licet ob hanc ipsam rem hominum animi quasi quadam tristitia percellantur, vitae humanae brevitatis commoniti: hoc tamen iidem sensu et spiritu efferuntur, quod ingenii humani instituta diuturniora sint et ad quandam aeternitatis speciem adspirare videantur. Quare piis laetisque animis quum ceteri omnes, tum publica Pomeraniae instituta eidem humanitatis proposito inservientia Almae Matris solemnia concelebrant. Non aurum lapidesve pretiosi ex patria nostra tellure effodiuntur, non vinetis colles coronantur: aratro nos et reti et gubernaculo opes debemus modestiores: sed virtus et fides nulli cessura et probitas Pomerana bene audiunt per Germaniam. Ut hasce quasi gemmas patrias conservemus, conservatas humanitatis auro circumcludendas curemus, Universitatis Vestrae exemplo egregie monemur et poscimur. Haec igitur literarum alma nutrix, Summi Numinis auspiciis olim condita, Principum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Augustorum liberalitate per tot saecula sustentata, Virorum praestantissimorum ingenio doctrina industria in dies amplificata, in omne aevum ut floreat et crescat, nemo sinceriore animo exoptat et precatur, quam quibus summa inde bona redundant.

Nostram in iis scholam esse lubentibus animis profitemur, neque gratius mihi quidquam eventurum erat, quam quod collegae mihi concederent, ut egomet, quem Vestra Universitas adolescentem aluisset, juvenem ad doctoris gradum promovisset, hocce gratulantis munus susciperem. Circumspicienti igitur mihi, quodnam potissimum argumentum eligerem et a Vestris et a scholae nostrae studiis non alienum, Ovidii Nasonis mores et opera tractanda venerunt ita, ut vita temporis ratione circumscripta morum censuram agerem, deinde expositis singulorum operum argumentis de auctoris virtute poetica judicarem. Qua in re notarum copiam coërcui, ne nimis onustus et praetextus libellus incederet, et omissis Ovidianis aliorumque locis, qui quidem ubivis occurrunt, eos tantum posui, qui ponerentur necesse visum est.

Scribebam Sundiae m. Septembri MDCCCLVI.

C. K.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf